

suetas aquis volucres patitur. Incertae undae superjecta, ut solido, ferunt: periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certo anni bitumen egerit: cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, et sparsa aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt. Inde, nullo juvante, influit, oneratque, donec abscondas; nec abscondere aere ferrove possis: fugit cruorem, vestemque infectam sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus: mox, ubi vapore terrae, vi solis, inaruerint, securibus cuneisque, ut trabes aut saxa, discindi.

VII. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse: et manere vestigia, terramque ipsam specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herbae tenues aut flores, ut solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego, sicut inclitas quondam urbes igne coelessi flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque foetus segetum et autumnii putrescere reor, solo coeloque juxta gravi. Et Belus amnis, Judaico mari illabitur: circa cujus os conlectae arenae, admixto nitro, in vitrum excoquantur, modicum aed litus, et egerentibus inexhaustum.

VIII. Magna pars Judaeae vicis dispergitur: habent et oppida. Hierosolyma genti caput. Illic immensae opulentiae templum, et primis munimentis urbs, dein regia: templum intimis clausum: ad fores tantum Judaeo aditus: limine, praeter sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones praepotuerunt, rex Antiochus demere superstitionem, et mores Graecorum dare adnixus, quo minus terrerent gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est: (nam